



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. V. Quid sit commodatum, precarium, & depositum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

ris satisfecerit, vel cautionem præstiterit, ( potest tamen ad causas pias. *Ibi. R. 73. ex Fagund. & aliis* 6. Nec surdus & mutus à natura; secus si à casu superveniente, vel si surdus sit, aut mutus tantum: licet donare inter vivos possit secundum quosdam, *Azor. Dian p. 5. t. 6. R. 12.*

DUBIUM V.

*Quid sit Commodatum, Precarium,  
& Deposium?*

Resp. Commodatum est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, quoad solum usum gratuito conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicitè vel implicitè determinatum: explicitè, ut si dicas, commodo tibi hunc librum, vel domum ad unum mensem: implicitè, ut si dicas, commodo tibi librum, ut eum describas; quia tunc implicitè tantum temporis determinatur, quantum necessarium est ad commodè describendum.

Precarium est, quo conceditur petenti res utenda, non ad certum tempus, ( in quo differt à Commodato, ) sed donec concedens repetat, sive expressè, sive tacitè, ut si det alteri, aut vendat, *Lay. l. 3. t. 4. c. 14.*

Deposium est, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur. Et communiter est res mobilis, vel se movens, ut vestis, equus, &c. *Vnde circa hac resolvuntur.*

I. Commodator non potest repetere absq; iniustitia antè definitum tempus, *Laym, l. 3. tr. 4. c. 14.*

N

II. Quòd

II. Quòd si tamen commodanti damnum im-  
pendeat, potest repetere, licet simile damnum im-  
penderet commodatario, ex rei ante tempus re-  
petitione, ut habet *Less. c. 27. d. 5.* quia ut ait *Næv.*  
in commodatione intelligitur tacita hæc dona-  
tio, nisi interea contigerit rem esse necessariam  
commodanti, *Laym. l. c.*

III. Si depositarius bona fide existimet, deposi-  
tori non displiciturum, si re deposita utatur, lice-  
bit uti, aliàs non, *Less. l. c. d. 2.*

IV. Si depositum sit res usu consumptibilis, ut  
triticum, vinum, pecunia, quæ exponendo absumi-  
tur, eaq; tradita sit certo numero, pondere & men-  
sura non videtur depositarius peccare saltem gra-  
viter iis utens, si certus sit, se tantundem ejusdem  
bonitatis habiturum, quando repeteretur, *Less. l. c.*  
Secus si pecunia tradita fuerit sacculo, vel arca  
inclusa, vel munita sigillo. *Sylv. Azor. Less. Bon.*  
*v. Trul. c. 12. d. 1.* Verum si is, cui res commodata,  
locata, deposita, & pignorata est, negligenter cu-  
stodiat, ita ut pereat, negligentia autem non sit  
Theologica culpa mortalis, probabile est, quod  
dixi ex *Soto Sa*, non teneri ad restitutionem in cõ-  
scientia. Alii tamen aliter sentiunt, nimirum tene-  
ri restituere, qui juridicam culpam, in custodiendo  
contraxerit, si ea fuerit lata; & subinde si levis tan-  
tum, imò & aliquando si levissima, (nimirum  
quando depositio facta est in commodum utrius-  
que: & si pretium pro custodia accipiat) *v. apud*  
*Less. c. 6. di. 8. Lay. lib. 3. tr. 4. c. 25.* ubi docet depo-  
sitarium tantum teneri de dolo, vel culpa crassa,  
quæ dolo æquiparetur.

Di-

Dicitur autem juridica culpa lata seu crassa, cū quis facit, aut omittit, quod ut plurimum non facerent, vel omitterent in ea re homines suæ professionis: ut v. g. si quis rem apud se depositam relinquit in loco publico, etsi inadvertenter. *Levis* autem dicitur, cum quis facit vel omittit, quod non facerent, vel omitterent homines suæ professionis diligentes: ut si quis depositum relinquit in suo cubiculo, sed negligit ostium claudere. *Levissima* dicitur, cum facit vel omittit, quod non facerent homines diligentissimi: ut si quis ostium quidem obserarit, sed neglexit tentare manu, an esset benè clausum.

V. Sartores, Molitores, & cæteri artifices, quibus res traditur polienda, vel immutanda: item nautæ, aurigæ, caupones, apud quos res deponuntur, tenentur ex *levi* culpa, quia depositio fit etiam in commodum ipsorum: imò *Sylv. V. Nauta*, vult teneri *levissima*, ex *L. i. ff. depositi*, idq; cautum esse ad vitandas eorum fraudes, quod etiam *Less. & Trul. c. 25. d. 1.* putant esse probabile in utroq; foro, si quis eis rem expresse tradiderit custodiendam: si autem ipsis tantum videntibus deposuerit, v. g. in diversorio, navi, &c. ne quidem ex *lata* teneri. *v. Bon. Trul. Dian. p. 1. t. 8. R. 74.*

VI. Si depositarius (idem est de commodatario) dubitet, an depositum sua culpa perierit, non tenetur in conscientia ad restitutionem, *Sanch. de matr. l. 2. d. 41. n. 18.* quia in dubio non præsumitur delictum, ex *L. Merito, ff. pro socio v. Dian. p. 2. t. 9. R. 49.* In foro tamen externo, si res depositarii manserint incolumes, præsumitur de dolo, nisi

depositarius probet depositum casu periisse, & nō potuisse simul cum rebus suis, (imminente v. gr. incendio) servari: tunc enim non teneretur, quia præsumptio doli cessaret, *vid. Palaum t. 1. de cons. d. 3. p. 4. Trul. c. 25. d. 1.*

VII. Si domino repetenti depositum, remisit per hominem, qui fidelis habebatur, isq. sibi retinuerit, vel perdiderit, domino periisse dicit *Molin. citatus ab Escob. v. Trul. l. c.*

VIII. Deponens rem usu non consumptibilem, potest à depositario pro ejus usu aliquid accipere, quia is est pretio aestimabilis (licet eo casu non depositi, sed locati & conducti contractus sit dicendus) Secus si sit usu consumptibilis: tunc enim depositum, eo ipso, quod depositarius incipit eo uti, induit naturam mutui, ex quo (seclusa ratione lucriferi cessantis, &c.) nihil licet accipere, ut *v. dub. seq. & Bon. d. 3. q. 13. p. 3. Trul. l. c.*

#### DUBIUM VI.

##### *Quid sit Mutuum?*

Resp. Est contractus, quo rei alicujus numero, pondere, vel mensura constantis, dominium à mutuatō in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eandem, vel similem specie, & bonitate. Propriè autem mutuum ferè est in rebus usu consumptibilibus, inter quas etiam est pecunia, quæ licet non absumatur, nec pereat in se, perit tamen exponenti. Distinguitur à permutatione, quod in ea reddatur res alterius speciei. Item à pignore, hypotheca, deposito, commodato & locato.